



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Benedictio Cinerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

Oremus.

Perfice in nobis quæsumus, Domine gratiam tuam, qui iusti Simeonis expectationem implesti: ut sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Domini videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eundem Dominum nostrum &c. Amen.

BENEDICTIO CINERUM. NB

Feriâ quartâ cinerum, ante missam benedicuntur cineres facti de ramis benedictis præteriti anni (si habentur) sequenti modo: Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula procedit ad benedicendum cineres, in vase aliquo, super altare positos, & primò dicitur sequens Antiphona.

Exaudinos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. *Psal. 63.*

Psalm. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Psal. 68.*

V. Gloria Patri.

Exaudi nos Domine &c.

Psalm. Domine ne in furore.

Pater noster.

Et ne nos.

V. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum. *Tob. 3.*

Rx. Neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Z 3

V. Do-

Pf. 102. **V.** Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Pf. 60. **V.** Esto nobis Domine turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

Pf. 101. **V.** Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus. &c. **V.** Dominus vobiscum.

Oremus.

Concede nobis, quaesumus Domine, praesidia militiae Christianae sanctis inchoare jejuniis: ut contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiae salutaris muniamur auxiliis. Per Dominum.

Exorcismus cinerum.

Exorcizo te creatura cineris in nomine Dei Patris **+** omnipotentis, & Jesu Christi **+** Filii ejus, & Spiritus **+** sancti, qui te per ignem in favillam verti praecipit: ut sicut iussione Moysis famuli sui, cinis vitulae in populo aspersus, omnem congregationem Israel sanctificavit: ita tu exorcizatus in nomine sanctae Trinitatis, qui Deus unus est, capitibus nostris aspersus scrutinium diaboli expellas, atque excludas, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & saeculum per ignem. Amen.

*Levit. 16.
v. 15.
Hebr. 9.
v. 13.*

Oremus.

Omnipotens Deus, misericordiam tuam humiliter deposci-

deposcimus, ut sicut Ninivitarum populus per
prædicationem Jonæ misericordiam tuam exorans,
suorum veniam meruit consequi peccatorum: ita
& hi, qui ad tuam gratiam percipiendam venire
desiderant, amputatis carnalibus desideriis, & ma-
culis, suorum finem constituent vitiorum. Per
Dominum nostrum.

Oremus.

Deus, qui humiliatione flecteris & satisfactione
placaris, aurem tuæ pietatis inclina precibus no-
stris, & servis tuis horum cinerum aspersione con-
signatis, infunde propitius gratiam tuæ bene-
dictionis: ut eos & spiritu compunctionis repleas,
& quæ justè postularint, efficaciter tribuas, & con-
cessa perpetuâ stabilitate conserves. Per Domi-
num. Amen.

*Completa cinerum benedictione, & sacerdoti celebraturo coram
altari genua flectenti inspergantur cineres ab alio sacerdote, si adest,
alioquin à se ipso, deinde ministris, postea aliis per ordinem coram
altari genua flectentibus, & ad singulas insersiones dicit sacerdos.*

**Memento homo quia pulvis es & in pulverem re-
verteris.** *Iterum à choro canitur Antiphona: Immutemur
habitu in cinere, &c. vel Juxta altare plorabunt,
&c. vel Emendemus in melius, dein subjungit sacerdos
Collectam.*

Oremus.

Deus qui justè irasceris & clementer ignoscis
afflicti

afflicti populi tui lacrymas respice, & iram tuam indignationis, quam justè meremur, propitiatus averte. Per Dominum, &c. Amen.

Consuetudo quæ in quibusdam templis etiam parochialibus habet, ut prælatâ cruce habeatur processio seu circuitus circa templum sicut in dominicis diebus, & Responsorium: **Emendemus, &c.** Postmodum ante summum altare à sacerdote Litaniam de omnibus Sanctis cum Collecta pro omni gradu Ecclesie canantur, ac demum sacrum summum subsequatur, illa nulla tenus abrogatur, sed commendatur.

NB.

BENEDICTIO PALMARUM.

Dominicâ in palmis ante missam solemnem fit illa benedictio, modo sequenti.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, plebem tuam, & corda nostra sacris dicata mysteriis, pietate tuere pervigili, ut remedia salutis æternæ, quæ te miserante percepit, te protegente custodiat; Per Dominum, &c. Amen.

Lectio Libri Exodi.

In diebus illis: venerunt filii Israël in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt juxta aquas. **Exodi 15** Profetique sunt de Elim: & venit omnis multitudo filiorum